AUTHOR: Ludwig, Vincent George August

TITLE: De jure adcrescendi : dissertatio I

PLACE: Lipsiae

DATE: 1817

BIBLIOGRAPHIC RECORD TARGET

The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign

CIC 6 / NEH Dittenberger-Vahlen Microfilming Project

Storage Number : 00-0231.7

Ludwig, Vincent George August.
De jure adcrescendi : dissertatio I / Vincentius Georgius Augustus Ludwig.
Lipsiae : Staritzii, 1817.
38, [4] p. ; 22 cm.

1. Roman law. 2. Legacies (Roman law) 3. Inheritance and succession (Roman law) I. Title.

Language: Latin.
Note(s): Includes bibliographical references.

OCLC: nc

Technical Microfilm Data

Microfilmed by
Preservation Resources
Bethlehem, PA

On behalf of
The Classics Library
University of Illinois at Urbana-Champaign
Urbana, IL

Film Size:	**35mm microfilm**
Reduction Ratio:	11 **:1**
Image Placement:	**IA (IIA) IB IIB**
Date filming began:	12-9-02
Camera operator:	K. Jones

A4

150 mm

A5

100 mm

PM-MGP
METRIC GENERAL PURPOSE TARGET
PHOTOGRAPHIC

1.25 1.1 1.0

1.4

4.5 5.0 5.6 6.3

2.8 3.2 3.6 4.0

1.6 1.8 2.0 2.2 2.5

2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

1.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

1.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz1234567890

2.0 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

2.5 mm ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

PRECISION[SM] RESOLUTION TARGETS



A & P INTERNATIONAL
715/262-5788 FAX 262-3823
577 LOCUST ST.
PRESCOTT, WI 54021

DE
IVRE ADCRESCENDI
DISSERTATIO I.

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

D. IOHANNE GODOFREDO MÜLLERO,
PROFESSORE IVRIS EXTRAORDINARIO, SVPREMAE CVRIAE REGIAE CONSILIARIO, FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE,

DIE XXVII. MARTII A. C. cIↄIↄcccxvii.

H. L. Q. C.

DEFENDET

AVCTOR

VINCENTIVS GEORGIVS AVGVSTVS LVDWIG,
LIPSIENSIS.

LIPSIAE
LITTERIS STARITZII, TYPOGR. VNIVERS.

PATRI OPTIMO

PIETAS FILII.

PATER OPTIME,

Quamquam, quod vulgo fit, minoris pretii aestimatur, exemplum tamen filiorum familias sectari utique licet, qui Commentationibus suis tanquam studiorum speciminibus patrum suorum nomina praeponere consueverunt. Igitur, PATER OPTIME, sinas, ut equidem Tuo erga me amore commotus hoc primum meae lucubrationis specimen in Litterarum Universitate Lipsiensi edam Tuo nomine venerando ornatum. Neque profecto opportunior mihi nascitur occasio, qua equidem animum Tibi deditissimum illa reverentia, quam honesti ratio exigit atque gratitudinis pietatisque officium postulat,

publice possim testificari. Incolumem Te Summi Numinis favor conservet, quo diutius una cum Matre carissima recolere fronte serena valeas memoriam diei, quo primitias laborum meorum Tibi mente pia consecrare licuit, quemque inter dies vitae meae faustissimos referam.

Tuus, PATER OPTIME,

Filius obsequiosissimus.

Caput I.

Notio iuris adcrescendi.

§. 1.

Inter varias causas, ex quibus rerum dominium adquiritur, in doctrina de iure hereditario invenitur ius, quod vulgo iuris adcrescendi nomine venit. Quae quidem materia etsi pluries et a doctissimis iuris interpretibus iam tractata est, ausus tamen et ego sum, eandem denuo persequi, sententiamque meam de eo profiteri, de quo Iurisconsulti, utpote quibus id ipsum argumentum, quo excellit Iurisprudentia, facillimam omnino ansam dubitationis praebuit, passim certarunt.

§. 2.

Negotium vero, quod praeprimis mihi incumbere puto, in eo consistit, ut illorum Virorum, qui in pertractando iure adcrescendi praecesserunt, faciam mentionem. Et quidem primus, qui duos scripsit libros de iure adcrescendi, est Francisc. Duare-

nus [a]), cui proxime adiungendi ſunt Franciſc. Ramos del Manzano [b]), Henric. a Suerin [c]), Thomas. Papillonius [d]), Emund Merillius [e]), Samuel de Cocceii [f]), Io. Frid. Nauendorffius [g]), Scip. Gentilis [h]) et Godofr. Ludov. Menkenius [i]). His iterum adiiciendi ſunt Hug. Donellus [k]), Iac. Cuiacius [l]), Arnold. Vinnius [m]),

a) *Operum*, quae Lugduni 1584. prodierunt, pag. 1438. ſeqq.

b) *Ad Titulos Dig. de legat. et fideicommiſſ. primo, ſecundo et tertio, praelectiones publice recitatae* a. 1642. et 1643. Parte II. in Gerard. Meermanni *Nouo Theſauro iuris ciuilis et canonici.* Tom. VII. pag. 280. Hagae Comitum. 1753.

c) *Quaeſtionum de uſufructu adcreſcendo Liber unus*, in Ottonis *Theſaur. iuris Romani.* Tom. IV. pag. 97. Lugduni Batavorum. 1729.

d) *De iure adcreſcendi libellus* in Ottonis *Theſ. iur. Rom.* pag. 765.

e) *Obſcurorum ſeu de iure adcreſcendi et coniunctionis Liber ſingularis* in Ottonis *Theſ. iur. Rom.* pag. 1787.

f) *Ius civ. controverſ.* Lib. XXX. XXXI. et XXXII. pag. 550. Francof. et Lipſ. 1729. 4.

g) *Diſputat. de iure adcreſcendi*, Praeſ. Io. Aug. Bachio. Lipſ. 1754. 4., quae etiam reperitur in Io. Aug. Bachii *Opuſculis* ex editione Klotzii. Halae, 1767. 8. No. VIII. pag. 323.

h) Tractat. *de iure adcreſcendi* in eius *Operib.* Neapoli. 1763. 4. Tom. I. pag. 175.

i) Diſputat. *de iure adcreſcendi, vendita hereditate, ad emtorem pertinente* in eius *Opuſc.* Halae prope Salam. 1770. 8. No. IX. pag. 261.

k) Commentar. *de iure civili.* Lib. VII. Cap. XII. et XIII. pag. 153. et Lib. VIII. Cap. XXI. pag. 289. Francof. 1589. fol.

l) *Opera, quae de iure fecit etc.* Francofurti. 1595. fol.

m) *In quatuor libros Inſtit. imperialium Commentar. academic. et forenſ.* Lib. II. Tit. XIV. pag. 382. et Lib. II. Tit.

Io. Gottl. Heineccius [n]) et **Cornel. van Bynkershoek** [o]).

§. 3.

Ipſa deinde iuris adcreſcendi notio modo latius, modo ſtrictius concipitur. Latius ſi accipitur ius adcreſcendi, illud ius intelligitur, *quo unumquodque patrimonii augmentum capitur* [p]). Strictius ſumtum eſt ius, *quo portio vacans hereditatis legative coniuncto heredi legatariove, qui ſuam partem acceptavit, adquiritur.* Amplius idem ius **Iac. Cuiacius** ita deſcripſit, ut haberet pro *iure retinendae vel nanciſcendae partis eius, qui non concurrit vel concurrere deſiit* [q]). Si igitur ex pluribus coheredibus vel collegatariis alter deficit, quia partem ſibi delatam recuſat, vel ex aliqua cauſa eam adire atque ſibi adquirere non poteſt, ipſa haec pars, quae nunc facta eſt vacua, reliquis coheredibus vel collegatariis ſecundum regulas, legibus praeſcriptas, adcreſcendo adquiritur. Locum

XX. pag. 485. Norimbergae, 1726. 4.

n) *Ad Legem Iuliam et Papiam Poppaeam Commentar.* Lib. III. pag. 359. Amſtelaed. 1731. 4.

o) *Obſervationum Iuris Romani quatuor Libri.* Lib. II. Cap. III. pag. 79. Francofurti et Lipſiae, 1739. 4.

p) L. 50. princ. et L. 56. princ. D. *de adquirendo rer. dominio.* **Menken.** Diſp. *de iure adcreſc. etc.* §. 2.

q) *Paratitl. in Dig. de Uſufructu accreſcendo et ad African.* Tractat. V. ad L. 56. §. 2. D. *de uſufruct. et quemadmodum.* pag. 441. Oper. Francoſ. 1595.

proinde habere nequit ius adcrescendi, si heres ex asse est institutus, qui hereditatem adquirere non vult vel non potest. Eo enim casu ab intestato succedunt proximi heredes legitimi [r]), inter quos ius adcrescendi iterum exercetur, quando alter eorum deficit. Nititur ergo ius accrescendi praecipue in coniunctione heredum vel legatariorum, substrato tamen in utrisque plane diverso fundamento.

§. 4.

Heres legatariusve partem sibi delatam adquirere nequit, si 1) uterque ante testatorem moritur [s]), 2) heres post obitum testatoris quidem, sed ante apertas tabulas vitam exspiravit [t]), 3) heres aeque ac legatarius simpliciter vel in ea specie, de qua agitur, ex singulari causa caret testamentifactione passiva, quo quidem censu reputati quoque sunt filii eius, qui crimen laesae maiestatis commisit [u]), nec non aposta-

r) L. 80. princ. D. *de adquirenda vel omittenda hereditate.*

s) L. un. §. 2. 3. 4. C. *de caducis tollend.*

t) L. un. §. 2. et 5. C. *de caduc. tollend.*

u) L. 5. §. 1. C. *ad Leg. Iul. Maiest.*, cuius verba sunt: *Filii vero eius*, maiestatis rei, *quibus vitam Imperatoria specialiter lenitate concedimus, (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hereditarii criminis exempla metuuntur,) a materna vel avita, omnium etiam proximorum hereditate ac successione habeantur alieni, testamentis extraneorum nihil capiant, sint perpetuo egentes et pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus*

tae [v]), et haeretici [w]); denique si 4) sub conditione heres est institutus legatumve relictum, et conditio deficit aut heres legatariusve ante eventum conditionis mortem obiit [x]).

Caput II.

Iuris adcrescendi historia.

§. 5.

Desunt rerum Romanarum monumenta, quorum fide origo iuris adcrescendi in causa hereditaria ad tempora duodecim Tabulis vetustiora referatur. Leges decemvirales, quibus successio hereditaria tam e testamento, quam ab intestato definita est, rationem satis idoneam suppeditarunt, unde per interpretationem partim regula, iuxta quam nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decedere poterat, derivaretur, partim prima stamina iuris adcrescendi deducerentur. Praecessit procul dubio usus eiusdem iuris inter coheredes; accessit postmodum illius observatio inter colle-

honores, ad nulla sacramenta perveniant, sint postremo tales, ut his perpetua egestate sordentibus sit et mors solatium et vita supplicium.

v) L. 3. C. *de apostatis.*

w) L. 4. et L. 5. C. *de haereticis.*

x) L. un. §. 7. C. *de caduc. tollend.* L. 31. et L. 69. D. *de condit. et demonstrat.*

gatarios [a]). Firmitate iam ante Augusti aevum mos pollebat, quo portio vacans hereditatis et legati iis coheredibus et collegatariis cedebat, qui hereditatem adibant legatumque agnoscebant.

§. 6.

Mutatum autem ius adcrescendi est per Legem Iuliam et Papiam Poppaeam, in altera quippe parte, quae vulgo Lex caducaria vel de caducis appellatur. Sunt enim hac lege quatuor casus exemti, quibus pars vacans neque coheredibus neque collegatariis concedebatur, sed potius populo addicebatur. Ipsius Legis verba, quibus quatuor casus descripti sunt, talia fuisse perhibentur: I) *Si quicunque hominum heres legatariusve, vivo testatore, post testamentum conditum decedet, conditione deficiet, relictum in causa caduci esto et populo quasi caducum defertor* [b]); II) *Sive heres pro parte legatariusve, quibus pure vel in certum diem hereditas legatumve relictum erit, post mortem testatoris ante apertas tabulas testamenti decedet vel pereger fiet, ea hereditatis pars legatumve caduca sunto, populoque deferuntor* [c]); III) *Sive caelibi vel alteri cuivis plus, quam ex H. L. licebit, relictum erit, et id caducum*

a) Vid. Io. Gottl. Heinecc. *ad legem Iuliam et Papiam Poppaeam* Commentar. Lib. III. Cap. IX. §. II.

b) Heinecc. cit. loc. Lib. III. Cap. V. §. I.

c) Heinecc. loc. not. Lib. III. Cap. VI. §. I.

eſto populoque vindicator [d]); IV) *Sive heres legatariusve poſt mortem teſtatoris ante eventum conditionis deficiat, hereditas legatumve caduca ſunto populoque deferuntor* [e]).

§. 7.

Secundum verba *Legis caducariae* antea in medium collata ab eo tempore inde, quo illa vim capiebat, uſus iuris adcreſcendi penitus ceſſavit, ubi I) heres vel legatarius condito quidem teſtamento, vivo autem adhuc teſtatore, mortuus erat, aut conditio defecerat, II) heres vel legatarius poſt mortem quidem teſtatoris, attamen ante apertas tabulas deceſſerat capitisve deminutionem paſſus erat [f]), qua ſtatum civitatis et cum hoc ſimul teſtamentifactionem paſſivam amiſerat; III) ubi caelibi aliive, qui incapax erat, in teſtamento plus, quam per legem fieri poterat, relictum erat [g]); denique IV) ubi heres legatariusve ante eventum conditionis morte perierat. Extra hos caſus ſalvum in tempus futurum ſubſtitit ius adcreſcendi, ſive de hereditate coheredum ſive de legato collegatariorum quaeſtio intercederet [h]).

d) Heinecc. loc. cit. Lib. III. Cap. VI. §. I.

e) Heinecc. loc. memorato Lib. III. Cap. VI. §. I.

f) Princ. et §. 1. et 2. I. *de capitis deminut.*

g) Vid. Heinecc. loc. not. Lib. III. Cap. VI. §. III.

h) Vid. Heinecc. loc. cit. Lib. III. Cap. IX. §. II. et Io. Frider. Nauendorff. Diſſ. *de iure adcreſcendi.*

§. 8.

Uti alia capita Legis Iuliae et Papiae Poppaeae pedetentim aut abrogata ſunt, aut in deſuetudinem abierunt, ita capita Legis Caducariae de quatuor caſibus exemtis Iuſtiniano inopportuna et iniuſta viſa ſunt. Quapropter Imperator haec quoque ſuſtulit, iusque adcreſcendi eam vim recipere voluit, qua usque ad Legem Iuliam et Papiam Poppaeam inter Romanos valuerat. Mentem vero abrogationis Iuſtinianus ita expreſſit: i) *Et nomen et materiam Caduco-*

i) L. un. princ. C. *de caduc. tollend.* Adfirmavit quidem Ludov. Iul. Frid. Hoepfnerus Commentar. *über die Heinecci-ſchen Inſtitutionen.* Lib. II. Tit. XIV. §. 492. animadv. 4., caput de I. caſu ob Senatusconſultum Trebellianum, de quo §. 4. I. *de fideicommiſſariis hereditat.* atque L. 1. §. 1. D. *ad Senatusconſ. Trebellian.* ſpeciatim agitur, vi ſua deſtitutum eſſe. At vero Senatusconſultum exitu ſuo carebat, niſi heres fiduciarius hereditatem, in qua inſtitutus erat, adiret. Decrevit enim Senatus, imperante Nerone Trebellioque Maximo et Annaeo Seneca Conſulibus, in haec verba: *Cum eſſet aequiſſimum, in omnibus fideicommiſſariis hereditatibus, ſi qua de his bonis iudicia penderent, ex his eos ſubire, in quos ius fructusque transferretur, potius, quam cuique periculoſam eſſe fidem ſuam, placet, actiones, quae in heredem heredibusque dari ſolent, neque in eos neque his dari, qui fidei ſuae commiſſum, ſicuti rogati eſſent, reſtituiſſent, ſed his et in eos, quibus ex teſtamento fideicommiſſum reſtitutum fuiſſet, quo magis in reliquum confirmantur ſupremae defunctorum voluntates.* Capitis de primo caſu eventus tum demum exiſtebat, cum heres inſtitutus morte ſua vel conditione deficiente ab hereditate arcebatur.

rum ex bellis ortam et auctam civilibus, quae in ſe populus Romanus movebat, neceſſarium duximus, Patres conſcripti, in pacificis noſtri Imperii temporibus ab orbe Romano recludere, ut, quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas ſopiret. Et quemadmodum in multis capitulis lex Papia ab anterioribus Principibus emendata fuit et per deſuetudinem abolita, ita et a nobis circa Caducorum obſervationem invidioſum ſuum amittat vigorem, qui et ipſis prudentiſſimis viris displicuit, multas invenientibus vias, per quas caducum non fieret. Sed et ipſis teſtamentorum conditoribus ſic graviſſima Caducorum obſervatio viſa eſt, ut et ſubſtitutiones introducerent, ne fiant caduca, et, ſi facta ſint, ad certas perſonas recurrere disponerent, vias recludentes, quas Lex Papia poſuit in Caducis: quod et nos fieri concedimus. Et cum Lex Papia ius antiquum, quod ante eam in omnibus ſimpliciter verſabatur, ſuis machinationibus et anguſtiis circumcludens, ſolis parentibus et liberis teſtatoris usque ad tertium gradum, ſi ſcripti fuerant heredes, ſuum imponere iugum erubuit, ius antiquum *intactum eis conſervans; nos omnibus noſtris ſubiectis ſine differentia perſonarum hoc concedimus.*

Caput III.

Fundamentum iuris adcrescendi.

§. 9.

Diverſum iuris adcreſcendi eſt fundamentum, prouti aut inter coheredes aut inter collegatarios exercetur. Inter coheredes enim ius illud locum habet ad conſervandam regulam iuris: *Nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decedere poteſt* [a]). Inter collegatarios vero idem ius nititur in praeſumtione, nolle teſtatorem, ut res legata ad heredem inſtitutum perveniat. Regula, qua fulcitur ius adcreſcendi inter coheredes, neceſſario negligitur, ſi, condito testamento, in quo plures heredes inſtituti ſunt, altero ex his portionem ſuam adire recuſante vel non valente, portio, quae nunc facta eſt vacua, ad heredes legitimos, qui ab inteſtato ſuccedunt, transfertur. Ne itaque regula, a Romanis recepta, ob defectum heredum inſtitutorum ullatenus falleret, Prudentes in civitate Romana invenerunt ius adcreſcendi, quo hereditas herede vacua reliquis heredibus non deficientibus contingeret, voluntasque teſtatoris impleretur.

§. 10.

Regula iuris Romani, neminem pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere poſſe, cauſam procul

a) §. 5. I. *de heredib. inſti- tuend.* L. 7. D. *de Reg. Iur.*

dubio habuit ex Legibus duodecim Tabularum, altera: *Pater familias uti legaſſit ſuper pecuniae tutelaeve ſuae rei, ita ius eſto;* altera: *Aſt ſi intestato moritur, cui ſuus heres nec eſcit, agnatus proximus familiam habeto. Si agnatus nec eſcit, gentilis familiam heres nancitor* b). Comparatio utriusque Legis ſatis indigitat, ſucceſſionem ex teſtamento et legitimam ſibi invicem ita oppoſitam eſſe, ut teſtamentaria legitimam excluderet, ideoque teſtamentaria pariter, atque legitima, in omnia defuncti bona fieret eſſetque eatenus univerſalis. Quam ob rem quemque civem, ſive populi ſuffragiis in Comitiis ſive per aes et libram teſtaretur, de omni ſua re tamdiu diſponere oportuit, donec Legum decemviralium ſanctiones per legislatores mutarentur, ſucceſſioque utriusque generis in eandem hereditatem admitteretur. Huiuscemodi vero mutationem per legem Romanam haud ſecutam, quin potius regulam priſtinam in iure Iuſtinianeo adprobatam eſſe, hiſtoria Iurisprudentiae Romanae abunde docet. Neutiquam quidem latet, militi pro parte teſtari licuiſſe c); verum ea exceptio iure exemtionis a lege communi convaleſcere incepit d).

b) Vid. Io. Aug. Bachii *Hiſtor. Iurisprud. Roman.* ex edit. Stockmann. 6ta. Tab. V. pag. 48. Lipſ. 1806.

c) L. 19. §. 2. D. *de caſtrenſi peculio.* L. 6. et L. 37. D. *de teſtamento militis.*

d) Fuſius regulam discuſſit Io. Frid. Herrmann. Exercitat. *de cauſis, cur idem et teſtatus et inteſtatus decedere non poſſit,* praeſ. Chriſt. Gottl. Haubold. Lipſ. 1788. 4.

§. 11.

Exinde porro clare apparet ratio, cur testatores defecerit licentia prohibendi, quominus iuris adcrescendi usus inter coheredes subsisteret e), nisi per modum substitutionis hunc finem impetrari placeret. Nam qui heredi deficienti alterum ex coheredibus substituebat, regulam consulto sectabatur; atque simul cavebat, ne exercitium iuris adcrescendi successioni hereditariae immisceretur, quippe cum efficeret, ut portio heredis instituti, si deficeret, nequaquam vacua redderetur, sed, reiecto iure adcrescendi, heredi substituto adquireretur.

§. 12.

Fundamentum iuris adcrescendi, inter collegatorios obtinentis, Iurisconsulti in praesumtione collocarunt, voluisse testatorem, ut res legata iure legati potius caperetur, quam in hereditate subsideret et iure hereditario penes heredem institutum esset f). Uti enim testator pro arbitrio suo rem pluribus legabat, adiecta lege, ut, si alter ex collegatariis deficeret, portio eius reliquorum portionibus adcresceret, ita eadem voluntas merito supponebatur in testatore, qui pluri-

e) Facit huc illud, quod Lege 55. D. *de legat.* 1. generatim expressum est: *Nemo potest in testamento suo cavere, nè Leges in suo testamento locum habeant.*

f) Conf. Heinecc. *ad Legem Iul. et Pap. Poppaeam* Comment. Lib. III. Cap. IX. §. II.

bus idem legatum absque illa lege adpoſita relinquebat, quoniam ab initio rem legati nomine ab hereditate ſeparabat. Sive autem verbis expreſſis ſive tacite iuri adcreſcendi inter collegatarios faveret, neutro caſu neceſſitas regulae, a qua idem ius inter coheredes ſuspendebatur, voluntatem teſtatoris legantis vel urgebat vel adiuvabat, quoniam, etiamſi ſecus ſtatueret, regula ab ipſo minime laedebatur. Idcirco testator, qui legatum in multorum gratiam disponebat, uſum iuris adcreſcendi nulla lege adverſante vetabat aut praecipiebat, ſicuti potiore erga heredem oneratum vel erga legatarios ducebatur favore.

§. 13.

Latius adeo patebat libertas teſtatoris, qui teſtamentum more militari condebat. Etenim milites propter ſingulare beneficium, ſibi ob imminens vitae periculum conceſſum, g) ſine discrimine tum coheredibus tum collegatariis iure adcreſcendi pari licentia interdicebant. Namque milites iure ſuo pro parte teſtati decedere poterant, pro parte inteſtati. Proinde obtemperandum erat teſtamento militari, quo teſtator declaraverat, abſtinendum heredibus inſtitutis eſſe a iure adcreſcendi, quando unus alterve eorum deficeret: ſinente quippe privilegio, legitimi teſtatoris heredes in portiones vacantes libere ſuccedebant.

g) L. 1. L. 34. L. 35. L. 40. L. 15. C. *de teſtamento militis*. princ. D. *de teſtamento militis*. Princ. I. *de militari teſtamento*.

Caput IV.

De iure adcrescendi inter coheredes.

§. 14.

Coheredes dicuntur, quoad hereditatis conſortio tenentur. Hereditatis vero conſortes ſingularis intercedit nexus, quo hereditatis communicatio propius definitur. Idem ſingularis coheredum nexus vocatur coheredum *coniunctio*. Ea cauſam ſuam habet modo ex lege modo ex ultima voluntate, prouti hereditas aut per legislatoris ſanctionem aut per teſtatoris diſpoſitionem defertur. Medium coniungendi coheredes, quo legislator et teſtator utuntur, vel ipſa res, cuius conſortes redduntur, vel formula est, qua hereditatis delatio exprimitur, vel denique in re atque formula ſimul conſiſtit. Hinc est, quod tria coheredum genera discernuntur, quorum primum *re*, ſecundum *verbis*, et tertium *re et verbis* ſive *mixtim coniunctos* complectitur. Coheredes I) *re coniuncti* ſunt, *qui ad unam eandemque hereditatem in diverſis propoſitionibus ſunt vocati*, veluti: A. heres eſto, B. heres meus eſto, et C. heres eſto [a]), quibus aequiparandi ſunt heredes, penes quos pari iure legitima est ſucceſſio. Coheredes II) *verbis coniuncti* intelliguntur, *qui in una eademque quidem propoſitione, ſed adiectis partibus ſunt inſtituti,*

a) L. 89. D. *de legat.* 3. L. 142. D. *de verb. ſignificat.*

exempli gratia: A. B. et C. aequis partibus heredes ſunto, aut: A. ex ſemiſſe, B. ex quadrante, et C. ex quadrante heredes ſunto [b]). Coheredes III) *re et verbis* ſeu *mixtim coniuncti* accipiuntur, *qui in una eademque propoſitione, partibus haud adiectis, ſunt inſtituti,* verbi cauſa: A. B. et C. heredes ſunto [c]).

§. 15.

Coniunctio coheredum legem hereditatis diviſioni dat, quam illos, adita hereditate, ſequi oportet [d]). Iunguntur enim coheredes eo conſilio, ut omnes hereditatis participes fiant, cuius cauſa coniunguntur. Quocirca principia, quibus diviſio hereditatis regatur, haec ſunt tenenda: 1) *Inter coheredes re coniunctos hereditas aequis partibus diſtribuitur,* utpote cum ſinguli ad eandem hereditatem ſint vocati, ideoque pari iure potiantur, adeo, ut tot fiant partes aequales, quot ſunt coheredes, ſive ex teſtamento ſive ab inteſtato ſuccedant; 2) *Inter coheredes verbis coniunctos hereditas ſecundum partes adiectas dividitur,* quoniam ipſe teſtator ſuam cuique partem hereditatis communis addixit, atque hoc modo ius ſingulorum determinavit; 3) *Inter coheredes re et verbis* ſive *mixtim coniunctos hereditas partibus aequalibus diſtribuitur,*

b) L. 89. D. *de legat.* 3. L. 142. D. *de verb. ſignificat.*

c) L. 89. D. *de legat.* 3. L. 142. D. *de verb. ſignificat.*

d) L. 9. §. 12. L. 11. L. 13. princ. et §. 5. D. *de heredib. inſtituend.* §. 6. I. *de heredib. inſtituend.*

quippe cum omnes ſimul in eadem hereditate ſint inſtituti iureque eodem ornati; 4) *Inter coheredes re et coheredes verbis coniunctos, ſi utrique ad eandem hereditatem concurrunt, haec ita diſtribuitur, ut ſingulis re coniunctis aequa pars cedat, ea vero, quae verbis coniunctis contingit, inter hos porro pro partibus cuique adiectis dividatur*, quia coheredes *verbis coniuncti*, quando cum coheredibus *re coniunctis* concurrunt, omnes pro uno coherede re coniuncto habentur e), integra hereditas in tot partes, quot ſunt heredes re coniuncti, ſecatur, et ſinguli coheredes verbis coniuncti ſuo iure in parte omnibus coniunctim tributa utuntur, veluti ſi quis in hunc modum teſtatus eſt: *Caius heres eſto; Titius et Sempronius pro parte dimidia heredes ſunto*, ubi duo coheredes re coniuncti numerantur, alter Caius, alter Titius et Sempronius ſimul, ac propterea hereditas in duas partes aequales ſeparatur, una earum a Caio, altera vero a Titio et Sempronio ſimul capitur, et poſtrema inter Titium et Sempronium iuxta portiones dimidias a teſtatore cuique adiectas dividitur; 5) *Inter coheredes re et coheredes re et verbis* ſive *mixtim coniunctos, quando utrique in eandem hereditatem concurrunt, haec ita dividitur, ut quisque re coniunctus aequam partem conſequatur, et, quae ad coheredes re et verbis coniunctos pervenit, inter eos aequa lance distribuatur*, verbi gratia, ſi teſtator dixit: *Caius*

e) L. 11. L. 13. princ. D. *de heredib. inſtituendis.*

heres esto; Titius et Sempronius heredes sunto, quo casu coheredes re et verbis coniuncti unum coheredem re coniunctum faciunt, proinde duo coheredes re coniuncti conveniunt, ob eos hereditas in duas partes aequales discinditur, una in Caium, altera in Titium et Sempronium simul transfertur, quorum iterum quisque aequalem suae partis portionem deportat; 6) *Inter coheredes verbis et coheredes re et verbis sive mixtim coniunctos, ubi utriusque generis coheredes ad eandem hereditatem vocati sunt, haec ita distribuitur, ut cuiusvis generis coheredes coniunctim partem aequalem nanciscantur, et verbis coniuncti suam partem ad mensuram portionum a testatore assignatarum, mixtim vero coniuncti partem suam in duas portiones aequales inter se dividant*, exempli causa, si testator pronunciavit: *Caius et Sempronius pro parte dimidia heredes sunto; Sextus et Tullius heredes sunto*, qua in specie coheredes verbis coniuncti unius, mixtim coniuncti alterius coheredis re coniuncti personam gerunt, hereditas integra in duas partes aequales seiungitur, una ad Caium et Sempronium, altera ad Sextum et Tullium transit, suam Caius et Sempronius ad normam partium a testatore definitarum, Sextus et Tullius suam aequis portionibus dividunt; 7) *Inter coheredes re, coheredes verbis et coheredes re et verbis sive mixtim coniunctos, quando omnis generis coheredes in eadem hereditate sunt instituti, haec ita dividitur, ut cuiuslibet generis coheredes, re*

coniuncti ſingulatim, verbis coniuncti ſimul et mixtim coniuncti itidem omnes aequalem partem adipiſcantur, ſuam verbis coniuncti ad exemplum portionum a teſtatore determinatarum, et mixtim coniuncti ſuam aequis portionibus ſibi diſtribuant, veluti ubi tenor teſtamenti eſt: *Attius heres eſto; Caius et Sempronius pro parte dimidia heredes ſunto; Sextus et Tullius heredes ſunto,* quo concurſu Attius primum, Caius et Sempronius ſecundum, Sextus et Tullius tertium coheredem re coniunctum repraeſentant, totam hereditatem in tres partes aequales disſecant, unam Attius ſolus, alteram Caius et Sempronius ſimul, et tertiam Sextus et Tullius coniunctim ſibi habent, Caius et Sempronius ſuam pro partibus, quas teſtator praeſcripſit, Sextus denique ac Tullius ſuam portionibus virilibus distribuunt.

§. 16.

A menſura, qua hereditatis diviſio temperatur, exercitium iuris adcreſcendi inter coheredes ſuspenditur. Hinc regulae enaſcuntur, quae ita audiunt: I) *Coheredum ſola re coniunctorum uno alterove deficiente, portio eius vacans reliquorum coheredum portionibus non vacantibus pro parte aequali adcreſcit.* Quare, ſi teſtator dixit: Caius heres eſto, Titius heres eſto, Sempronius heres eſto, atque Caius aut Titius, aut uterque deficit, portio Caii aut Titii aut utriusque vacans portioni aut Titii et Sempronii, aut Caii et Sempronii, aut denique ſolius Sempronii non vacanti ita adcreſcit, ut in prima et

ſecunda ſpecie pro parte dimidia ſingulis portionibus, et in tertia ſpecie portioni, quae ſola non vacat, integra cedat. Adquiritur vero portio vacans non vacanti ipſo iure adeoque eo, qui coheres extitit, nolente f); II) *Coheredum nonniſi verbis coniunctorum uno alterove deficiente, portio eius vacans portionibus reliquorum coheredum non vacantibus iuxta quantitatem partium, quas teſtator coheredibus poſtremis deſtinavit, adcreſcit.* Proinde teſtatore in hunc modum disponente: Caius, Titius et Sempronius heredes ſunto, Caius in ſemiſſem, Titius in quadrantem et Sempronius in quadrantem, tum, cum verbi cauſa Sempronius deficit, portionis vacantis duas tertias partes Caius, et unam tertiam partem Titius iure adcreſcendi adquirit. Neque refert, partes, quas quisque coheredum verbis tantum coniunctorum ex teſtatoris dispoſitione accipiat, ſint aequales, an inaequales. Etenim eadem tenenda eſt proportio, qua teſtator partes distribuit. Igitur ſi duo coheredes verbis coniuncti in dimidia parte, vel tres in tertia parte ſinguli ſunt inſtituti, portio vacans coheredis aequali modo auget portiones non vacantes, ideoque, duobus inſtitutis, portio unius integra portionem alterius, et, ſi tres coniuncti ſunt, portio unius portiones duorum reliquorum aequali lance amplificat; III) *Coheredum*

f) L. 53. D. *de adquirenda vel omittenda hereditate.* L. un. §. 10. C. *de caduc. tollend.*

re et verbis ſive mixtim coniunctorum uno alterove deficiente, portio eiusdem vacans portionibus reliquorum non vacantibus pro aequalitate partium adcreſcit. Teſtator exempli gratia ait: Lucius, Carus, Laelius et Ateius heredes ſunto. Deficiunt Lucius et Ateius; accedit utriusque portio vacans ad Cari atque Laelii portiones pro dimidia parte. Quoniam autem teſtator omnem hereditatem quatuor heredibus coniunctim relinqui decrevit, perinde eſt, ac ſi dicatur, totam hereditatem ab initio in partes dimidias ſeparari, earumque alteram Caro, alteram Laelio deberi. Nec aliter cauſam decidi exiſtimaveris, ſi eosdem coheredes re tantum coniungi ſupponas. Sive enim ſola re, ſive verbis ſimul coniungantur, ſinguli tamen in ſolidum inſtituti cenſentur. Quamobrem de utroque genere coheredum coniunctorum valebit Celſi interpretatio: *Coniunctim heredes inſtitui, hoc eſt: totam hereditatem ſingulis datam eſſe, partes autem concursu fieri* [g]). Hinc argumentari licet, concurrentibus coheredibus re vel mixtim coniunctis, ius adcreſcendi induere indolem iuris non decreſcendi. Hereditati itaque, ad quam Carus et Laelius vocati ſunt, non tam adcreſcere, quam potius de ea non decreſcere videtur pars, quam Lucius et Ateius adquirere recuſavit vel conſequi non potuit; IV) *Coheredum partim re partim verbis coniunctorum*

g) L. 80. D. *de legatis* 3.

uno alterove deficiente, portio coheredis re coniuncti vacans portionibus ceterorum coheredum re coniunctorum parte aequali, portio vero coheredis verbis coniuncti vacans portionibus reliquorum coheredum verbis coniunctorum secundum quantitatem partium a testatore definitarum, aut, si nulli eorum superstites sunt, portionibus coheredum re coniunctorum, qui supersunt, non vacantibus itidem aequali parte adcrescit. Coheredes, qui verbis aut re et verbis coniunguntur, Iustiniano monente [h]), propter unitatem sermonis quasi in unum corpus rediguntur; qui vero nonnisi re coniunguntur, hi ipso testatoris sermone discernuntur. Illi in specie *coniuncti*, hi *disiuncti* nuncupantur. Illis hereditas *coniunctivo*, his *disiunctivo modo* relinquitur. Coheredes coniuncti, uno alterove eorum deficiente, ab exercitio iuris adcrescendi coheredes disiunctos excludunt. Sancivit enim Iustinianus [i]): *Sin vero quidam ex heredibus institutis vel substitutis permixti sunt, et alii coniunctim, alii disiunctim nuncupati, tunc, siquidem ex coniunctis aliquis deficiat, hoc omnimodo ad solos coniunctos cum suo veniat onere, id est, pro parte hereditatis, quae ad eos pervenit.* At cum disiunctis coheredibus, si quisquam eorum deficit, coniuncti simul ad usum iuris adcrescendi admittuntur,

h) L. unic. §. 10. C. *de caducis tollendis.*

i) L. unic. §. 10. C. *de caduc. tollend.*

uti Iustinianus [k]) praecepit verbis: *Sin autem ex his, qui disiunctim ſcripti ſunt, aliquid evaneſcat, hoc non ad ſolos disiunctos, ſed ad omnes, tam coniunctos, quam etiam ad disiunctos ſimiliter cum ſuo onere pro portione hereditatis perveniat.* Condidit teſtator ultimam voluntatem: Caius, inquiens, heres eſto, Titius heres eſto; Sempronius et Maevius heredes ſunto, Sempronius in quadrantem, Maevius in unciam. Caius non fit heres; portio eius vacua iure adcreſcendi Titio disiuncto pro parte dimidia, nec non Sempronio et Maevio coniunctis pro altera parte dimidia conceditur, quam uterque iuxta quantitatem quadrantis et unciae distribuit. Sempronio hereditatem non adeunte, vacua eius portio ſoli Maevio cedit, excluſis Caio et Titio disiunctis. Quando denique Sempronius et Maevius ſimul deficiunt, portiones ipſorum vacuae cum Caio et Titio disiunctis pro aequali parte communicantur; V) *Coheredum partim re partim re et verbis ſive mixtim coniunctorum uno alterove deficiente, portio coheredis re coniuncti vacans portionibus reliquorum coheredum re coniunctorum aequa lance, portio item coheredis re et verbis ſive mixtim coniuncti vacua portionibus ceterorum coheredum re et verbis ſive mixtim coniunctorum aequali parte, et, ſi horum nullus ſuperſtes amplius eſt, portionibus coheredum re coniunctorum, quae non*

k) L. unic. §. 10. C. *de caduc. tollend.*

vacarunt, pro parte aequali adcrescit. Coheredes, qui mixtim coniunguntur, in exercendo iure adcrescendi quoad portiones secum coniunctorum anteponuntur coheredibus, quos sola res univit, tanquam disiunctis, sed cum iisdem in portiones disiunctorum vacuas simul concurrunt. Qua de causa, ubi quis testatus est: Caius heres esto, Titius heres esto; Sempronius, Marcus et Sextus heredes sunto, deficiente Caio, Titius itemque Sempronius, Marcus atque Sextus portionem Caii ita capiunt, ut dimidia pars Titio, reliqua Sempronio, Marco et Sexto coniunctim competat, inter eosdem aequalibus partibus iterum dividenda. Si Sempronius deficit, portio vacua penes Marcum et Sextum remanet, quorum quisque dimidiam partem sortitur. Quando vero accidit, ut omnes coniuncti, Sempronius quippe, Marcus atque Sextus deficiant, horum portiones vacantes portionibus disiunctorum coheredum Caii et Titii pro dimidiis partibus accedunt; VI.) *Coheredum partim verbis partim re et verbis sive mixtim coniunctorum uno alterove deficiente, portio coheredis verbis coniuncti vacans portionibus reliquorum coheredum verbis coniunctorum secundum partes a testatore ipsis assignatas, portio vero coheredis re et verbis sive mixtim coniuncti vacua portionibus ceterorum re et verbis sive mixtim coniunctorum coheredum pro aequalitate partium, nec non cunctorum coheredum aut*

verbis aut re et verbis ſive mixtim coniunctorum portiones vacantes portionibus aut mixtim aut verbis coniunctorum coheredum non vacantibus iuxta partium, in quibus quisque inſtitutus eſt, quantitatem adcreſcunt. Coheredes, quos teſtator verbis univit, a coheredibus, qui re et verbis coniuncti ſunt, ſeparantur. Utrumque genus duos complectitur coheredes disiunctos, adeo, ut verbis coniuncti pro una, mixtim coniuncti pro altera habeantur perſona. Verbis coniuncti ius adcreſcendi inter ſe prae mixtim coniunctis, et viciſſim hi prae illis exercent, quamdiu vel unus coheres de ſuo genere ſuperſtes eſt, qui adeat hereditatem. Decedit teſtator relinquens teſtamentum ſequentis argumenti: Caius, Titius et Marcus heredes ſunto, Caius in trientem, Titius in quadrantem, Marcus in quincuncem; Sempronius, Tullius et Maevius heredes ſunto. Caius, Titius et Marcus verbis tantum, Sempronius, Tullius et Maevius re et verbis ſive mixtim coniuncti ſunt. Illi unum, hi alterum faciunt coheredem disiunctum. Deficit Titius; eius portio contingit Caio et Marco pro quantitate partium, quas teſtator ſingulis attribuit. Deficit Maevius; portio ipſius vacua adquiritur Sempronio et Tullio pro parte aequali. Deficiunt Caius, Titius et Marcus; eorum portiones vacantes portionibus Sempronii, Tullii et Maevii adcreſcunt, aequa lance cunctis distribuendae. His vero omnibus deficientibus,

in portiones vacantes Caius, Titius et Marcus pro partium suarum quantitate succedunt; VII) *Coheredum partim re, partim verbis, partim re et verbis sive mixtim coniunctorum uno alterove deficiente, 1) portio coheredis re coniuncti vacans portionibus reliquorum coheredum re coniunctorum aequali parte, 2) portio coheredis verbis coniuncti vacua portionibus ceterorum coheredum verbis coniunctorum iuxta partium quantitatem, 3) portio coheredis re et verbis sive mixtim coniuncti vacans portionibus reliquorum coheredum mixtim coniunctorum aequa lance adcrescit.* Quot sunt coheredes re coniuncti, tot sunt coheredes disiuncti. Eodem censu verbis coniuncti, nec non coheredes re et verbis sive mixtim coniuncti habentur, quoad cum singulis coheredibus re coniunctis concurrunt in hereditatem, quoniam verbis coniuncti pariter, atque mixtim coniuncti pro una persona reputantur. At coheredes verbis coniuncti, cum ius adcrescendi inter se exercent, consortium singulorum coheredum re et mixtim coniunctorum excludunt. Pari iure praecipuo coheredes mixtim coniuncti inter se utuntur. Singuli denique coheredes, qui re uniuntur, coheredes verbis et mixtim coniunctos ad consortium iuris adcrescendi necessario admittunt. Proinde si nemo ex coheredibus verbis aut mixtim coniunctis succedit, reliqui coheredes tanquam disiuncti iure adcrescendi potiuntur. Ait testator: Aulus

heres esto, Caius heres esto; Davus in semissem, Fabius in sextantem et Gallus in trientem heredes sunto; Laelius, Maximus et Ofilius heredes sunto. Aulus et Caius sola re, Davus, Fabius et Gallus duntaxat verbis, Laelius, Maximus et Ofilius re et verbis tantum sive mixtim coniunguntur. Quod si 1) Aulus deficit, in portionem vacantem tres coheredes re coniuncti, qui sunt coheredes disiuncti, Caius quippe, Davus, Fabius et Gallus coniunctim, itemque Laelius, Maximus et Ofilius tanquam una persona aequali iure concurrunt; Davus, Fabius et Gallus tertiam partem sibi cessam ad proportionem semissis, sextantis et trientis, Laelius vero et Maximus Ofiliusque tertiam partem, quam assecuti sunt, aequa lance dividunt. 2) Davo deficiente, portionis vacantis Fabius et Gallus pro rata compotes fiunt. Quando 3) Maximus deficit, in portionem vacuam Laelius et Ofilius aequali iure succedunt. Cum 4) Davus, Fabius et Gallus deficiunt, portiones eorum vacantes in tres partes secantur, quorum una ab Aulo, altera a Caio, tertia a Laelio, Maximo et Ofilio capitur, haec vero rursus inter postremos aequalibus partibus distribuitur. Ubi 5) accidit, ut Laelius, Maximus atque Ofilius deficiant, horum portiones vacantes iterum in tres abeunt partes; una Aulo, altera Caio, tertia Davo, Fabio et Gallo coniunctim quidem debetur, sed ab

iisdem pro quantitate ſemiſſis, ſextantis et trientis eſt dividenda.

Caput V.

De iure adcrescendi inter collegatarios.

§. 17.

Collegatarii vocantur, qui rei legatae conſortio continentur. Conſortii amplitudo determinatur ſingulari nexu, qui *coniunctio* collegatariorum nuncupatur. Haec cauſam habet ex ultima voluntate, quippe qua omne legatum diſponitur. Vinculum, quo collegatarii coniunguntur, modo res, in cuius conſortium collegatarii vocantur, modo verborum conceptio eſt, qua utitur auctor legati, modo in hac et in re ſimul conſpicitur. Quocirca, uti coheredum, ſic etiam collegatariorum tria genera diſtinguuntur, primum *re*, ſecundum *verbis*, tertium *re et verbis* ſive *mixtim coniunctorum*. Collegatarii I) *re coniuncti* ſunt, *quibus eadem res in diverſis propoſitionibus relicta eſt.* Intelligitur autem vel res individua, veluti: Caio villam meam do lego, Titio eandem villam do lego, vel eadem rerum earundem quantitas, verbi cauſa: Sempronio centum aureos do lego, Sexto eosdem centum aureos do lego. Quare deeſt indoles coniunctionis realis, ſi teſtator dicit: Maevio quindecim ſolidos do lego, Tullio quindecim ſolidos do lego, quia utroque legato

eadem quidem quantitas, ſed non iidem ſolidi comprehenduntur. Collegatarii II) *verbis coniuncti* accipiuntur illi, *quibus res in una eademque quidem propoſitione, ſed adiectis tamen partibus legata eſt*, utputa: Laelio et Seio domum meam dimidiis partibus do lego, aut: Quod Davus mihi debet, Marco et Quinto do lego, ita, ut Marcus beſſem, Quintus trientem ſibi habeat. Collegatarii III) *re et verbis* ſive *mixtim coniuncti* intelliguntur, *quibus eadem res in una eademque propoſitione absque partibus adiectis legata eſt*, exempli gratia: Aulo et Maximo fundum meum do lego, vel: Caro et Ofilio quinquaginta modios tritici do lego.

§. 18.

Regulae, ſecundum quas legatum inter collegatarios coniunctos dividi oportet, cum regulis conveniunt, quibus diviſio hereditatis inter coheredes coniunctos regitur [a]). Ius adcreſcendi, quo collegatarii fruuntur, in praeſumtione voluntatis teſtatoris nititur, ne res legata ad heredem perveniat. Cognoſcitur haec voluntas ex coniunctione collegatariorum, qua teſtator ipſis legatum reliquit, niſi eos ab uſu iuris adcreſcendi decreverit abſtinere. Suo autem arbitrio teſtator exercitio iuris adcreſcendi collegatariis interdicit, quoniam,

a) Vid. ſupra Cap. IV. §. 15.

cessante iure adcrescendi, res legata ad heredem, quem instituit, revertitur, neutiquam vero ad heredes legitimos transfertur, ideoque regula, neminem pro parte testatum pro parte intestatum decedere posse, nullatenus violatur. Quodsi testator haud impedivit, quominus ius adcrescendi a collegatariis exerceatur, principia illa, quibus usus iuris adcrescendi inter coheredes coniunctos temperatur [b]), a collegatariis coniunctis merito observantur, ita tamen, ut portiones hereditariae, quae vacant, coheredibus insciis atque adeo invitis ipso iure, portiones vero legatorum vacuae collegatariis nonnisi volentibus, utrisque licet cum oneribus, quibus portiones illae a testatore gravatae sunt, contingant [c]). Neque iure sibi vindicant collegatarii portiones vacantes, priusquam constat, veram eos intercedere coniunctionem. Hanc inter legatarios, qui verbis duntaxat coniuncti sunt, obtinere asseruerunt Hugo Donellus [d]), Scipio Gentilis [e]) et Arnoldus Vinnius [f]), si quidem testator partes quotas collegatariis relinquat; contrariam sen-

b) Vid. supra Cap. IV. §. 16.

c) L. 2. §. 8. D. *de bonor. possessionib. secundum tabulas.* L. 61. D. *de legat.* 2. L. unic. §. 10. et 11. C. *de caducis tollendis.*

d) Comment. *Iur. Civ.* Lib. VII. Cap. 13. Lib. VIII. Cap. 21.

e) Tractat. *de iure accrescendi.* Cap. VI. Oper. Tom. I. Neap. a. 1763. 4.

f) *Comment. in Institut.* Lib. II. Tit. XX. §. 8. n. 15. sq.

tentiam Samuelis de Cocceii [g]) et Bachius [h]) defenderunt; illi ius adcrescendi collegatariis verbis coniunctis competere adfirmarunt, hi omnino negarunt. Ait Ulpianus L. 34. §. 9. D. *de legatis* 1.: *Si coniunctim res legetur, constat, partes ab initio fieri. Nec solum hi partem faciunt, in quorum persona constitit legatum, verum hi quoque, in quorum persona non constitit legatum, ut puta, si Titio et servo proprio sine libertate.* Videtur Ulpianus innuere, legatarios singulos a testatore ad partes legati vocari, ita, ut eos in communione rei legatae versari nolit. Sed num hinc ratiocinaberis, Iurisconsultum de indole coniunctionis legatariorum, qui verbis tantum copulati sunt, dubitasse, usumque iuris adcrescendi inter collegatarios nonnisi verbis coniunctos reprobasse? Adversatur vox *coniunctim*, quae supponit, rem eandem pluribus personis legatam esse. Obest voluntas testatoris, ex qua rem pluribus legatariis relictam inter eosdem distribui oportet; quae quidem voluntas in cunctos collegatarios cadit, sive re, sive re et verbis, sive verbis tantum coniungantur. Obstat pronunciatio Ulpiani §. 11.: *Si duobus* (res) *sit legata, quorum alter heres institutus sit, a semet ipso ei lega-*

g) *Iur. Civil. controv.* Lib. XXX. XXXI. et XXXII. Quaest. IV. pag. 352. Francof. et Lipsiae. 1729. 4.

h) Io. Aug. Bach. Disput. *de iure adcresc.* §. 14. Lips. a. 1754. 4.

tum inutiliter videtur, ideoque, quod ei a ſe legatum eſt, ad collegatarium pertinebit, nec non principio eiusdem Legis: *Plane, ubi transferre voluit legatum in noviſſimum, priori non debebitur, tametſi noviſſimus talis ſit, in cuius perſona legatum non conſtitit. At ſi coniuncti disiunctive commixti ſint, coniuncti unius perſonae poteſtate funguntur*, cum in utroque loco *collegatariis coniunctis* ſimpliciter, nullo coniunctionis discrimine facto, legati perceptio, quae ſine diviſione exitum conſequi nequit, una cum iure adcreſcendi adſcribatur. Quare dubitatio de vera indole coniunctionis, quae collegatarios verbis tantum unitos intercedit, per Legem Ulpiani haud magis adiuvatur, quam dubitatio de exercitio iuris adcreſcendi permiſſo. Scripſit porro Papinianus L. 11. D. *de uſu fructu adcreſcendo: Cum ſingulis ab heredibus ſingulis eiusdem rei fructus legatur, fructuarii ſeparati videntur, non minus, quam ſi aequis partibus duobus eiusdem rei fructus legatus fuiſſet. Unde ſit, ut inter eos ius adcreſcendi non ſit.* Duo, quibus fructus eiusdem rei legatur aequis portionibus, aut ſeparati a teſtatore ſunt aut coniuncti. Prius ſi fecit teſtator, veluti: Sempronio lego fructum agri mei, Tullio lego fructum eiusdem agri, utrique aequa portione, deest coniunctio, quia ſinguli ad ſingulam partem fructus ſunt vocati: exulat proinde inter eos ius adcreſcendi. Poſterius ſi teſtator conſtituit, deest coniunctio propterea, quod ſinguli

legatarii diverſos habent heredes, a quibus legatum petant et impetrent, ceu verbis Legis 12. ſubſequentis ab Ulpiano indicatur: *Cum alius ab alio herede uſumfructum vindicat.* Nulla igitur hinc valet conſecutio, auctore Papiniano collegatarios verbis coniunctos deſtitui iure adcreſcendi. Aliam ſpeciem Paulus interpretatur in Legis 15. §. 1. D. *de legat.* 1.: *Si quis*, inquiens, *unam ſummam filiabus legaverit, ut etiam de poſthuma ſentiret, ſi ea non est nata, ſuperſtiti ſolidum debebitur.* Legatarios coniunctos intelligi, manifeſtum est: neque latet, eos iure adcreſcendi gaudere: ſed quo genere coniunctionis comprehendantur, prorſus reticetur. Qua de cauſa ex ſententia Pauli ad id, quod collegatarii verbis coniuncti arceantur ab uſu iuris adcreſcendi, argumentari non licet. Idem Paulus tradidit L. 89. D. *de legat.* 3.: *Re coniuncti videntur, non etiam verbis, cum duobus ſeparatim eadem res legatur. Item verbis, non etiam re, Titio et Seio fundum aequis partibus do, lego, quoniam ſemper partes habent legatarii. Praeſertur igitur omni modo caeteris, qui et re et verbis coniunctus est. Quodſi re tantum coniunctus ſit, conſtat non eſſe potiorem. Si vero verbis quidem coniunctus ſit, re autem non, quaeſtionis eſt, an coniunctus potior ſit? Et magis eſt, ut et ipſe praeferatur.* Nominavit Paulus collegatarios, qui verbis iunguntur: his ipſis ius adcreſcendi addixit, quia verbis ſunt coniuncti. Deeſt

ergo ratio idonea, ob quam, iure Romano praeeunte, *coniunctio* collegatariorum verbalis iusque adcreſcendi cum ea conſociatum negetur. Quin ipſe Bachius profitetur [i]), ius adcreſcendi inter huiusce generis collegatarios in praxi eſſe receptum.

Caput VI.

De legibus, sub quibus ius adcrescendi admittitur.

§. 19.

Leges, quibus ius adcreſcendi adſtringitur, eae perſonarum et rerum conditiones ſunt, ſine quibus illud ius exerceri nequit. Redeunt omnes ad id argumenti, ut quis teſtamento condito vel ab inteſtato deceſſerit, plures heredes inſtituerit, aut a lege vocatos reliquerit, pluresque legatarios in ultima voluntate nominaverit; ut heredum unus pluresve adierint hereditatem, atque legatariorum unus alterve legatum agnoverit; ut heredum et legatariorum coniunctio ex re aut ex verbis aut ex re et verbis ſubſiſtat,

i) Disputat. antea commemorata. §. 18.

heredibus scilicet legitimis eiusdem gradus, penes quos successio in capita est, coheredibus re coniunctis, et, quibus successio in stirpem est, coheredibus re et verbis coniunctis omni modo aequiparandis; ut unus pluresve ex coheredibus seu collegatariis coniunctis ideo, quod concurrere vel recusant vel non possunt, deficiant; neve in hereditate facta sit substitutio, vel, quominus collegatarii iure adcrescendi potiantur, accesserit testatoris prohibitio; ut denique portiones coheredum ac collegatariorum vacantes portionibus non vacantibus, portiones vero collegatariorum, qui ad *iura* servitutum personalium vocati sunt atque defecerunt, personis reliquorum, non ipsorum partibus adcrescant. Proposuerunt enim, natura harum servitutum considerata, Papinianus L. 33. §. 1. D. *de usufructu et quemadmodum*: *Usumfructum in quibusdam casibus non partis effectum obtinere convenit. Unde si fundi vel fructus portio petatur, et absolutione secuta postea pars altera, quae adcrevit, vindicetur, in lite quidem proprietatis iudicatae rei exceptionem obstare, in fructus vero non obstare, scribit Iulianus, quoniam portio fundi velut alluvio portioni, personae fructus adcresceret*, et Ulpianus L. 10. D. *de usufructu*

adcrescendo: Interdum pars usus fructus et non habenti partem suam, sed amittenti, adcrescit. Nam si usus fructus duobus fuerit legatus, et alter lite contestata amiserit usumfructum, mox et collegatarius, qui litem contestatus non erat, usumfructum amisit, partem dimidiam duntaxat, quam amisit, qui litem contestatus est adversus eum, qui se liti obtulit, a possessore consequitur. Pars enim collegatarii ipsi adcrescit, non domino proprietatis. Usus fructus enim personae adcrescit, etsi fuerit amissus, nec non L. 1. §. 3. D. eod. Tit.: *Interdum, tamen etsi non sint coniuncti, tamen usus fructus legatus alteri adcrescit: ut puta, si mihi fundi usus fructus separatim totius, et tibi similiter fuerit relictus. Nam, ut et Celsus Lib. 18. Digestorum, et Iulianus Lib. 35. scribit, concursu partes habemus. Quod et in proprietate contingeret. Nam, altero repudiante, alter totum fundum haberet. Sed in usufructu hoc plus est, quia et constitutus et postea amissus nihilominus ius adcrescendi admittit. Omnes enim auctores apud Plautium de hoc consenserunt: et, ut Celsus et Iulianus eleganter aiunt, usus fructus cottidie constituitur et legatur, non, ut proprietas, eo solo tempore, quo vindicatur. Cum primum itaque non inveniet*

alter eum, qui ſibi concurrat, ſolus utetur in totum: nec refert, coniunctim an ſeparatim relinquatur, atque L. 3. §. 2. D. eod. Tit.: *Non ſolum autem, ſi duobus uſusfructus legetur, eſt ius adcreſcendi, verum etſi alteri uſusfructus, alteri fundus legatus eſt. Nam, amittente uſumfructum altero, cui erat legatus, magis iure adcreſcendi ad alterum pertinet, quam redit ad proprietatem. Nec novum: nam etſi duobus uſusfructus legetur, et apud alterum ſit conſolidatus, ius adcreſcendi non perit, neque ei, apud quem conſolidatus eſt, neque ab eo: et ipſe, quibus modis amitteret ante conſolidationem, iisdem et nunc amittet. Et ita et Neratio et Ariſtoni videtur, et Pomponius probat.* Ex quibus legibus ſimul patescit, collegatarium iure adcreſcendi uti poſſe, etiamſi vel ipſe partem uſusfructus amiſerit, vel alter collegatarius, qui deficit, antea uſumfructum iam exercuerit. Unde eſt, quod Interpretes *ius adcreſcendi* in cauſa legati uſusfructus adpellarunt *perſonale.*

§. 20.

Deſiderantur conditiones antea recenſitae in ſpeciebus, quas retulit Ulpianus in Legis 1. §. 4. D. *de*

heredibus instituendis, ubi ait: *Si ex fundo fuisset aliquis solus institutus, valet institutio, detracta fundi mentione*, atque in Legis 9. §. 13. D. eod. Tit., cuius verba sunt: *Si duo sint heredes instituti, unus ex parte tertia fundi Corneliani, alter ex besse eiusdem fundi, Celsus expeditissimam Sabini sententiam sequitur, ut, detracta fundi mentione, quasi sine partibus heredes scripti, hereditate potirentur, si modo voluntas patrisfamilias manifestissime non refragatur.* In prima specie testator unum solummodo heredem eundemque in parte bonorum suorum scripsit, de reliquis vero bonis nihil disposuit. In secunda specie duo quidem heredes, at nonnisi in una re instituti sunt, adiecta cuique eiusdem rei parte definita. Desunt igitur in prima specie coheredes, in secunda coheredes coniuncti. Quoniam tamen institutio in utraque specie a regula communi, quod nemo pro parte testatus pro parte intestatus decedere possit, longissime aberravit, bona hereditaria, quae pro verborum tenore destituta heredibus sunt, portionibus expressis secundum interpretationem legibus receptam adcrescunt. Capit itaque heres, ex fundo institutus, cum eo reliquam hereditatem; duo item heredes, ad partes fundi Corneliani vocati, integra

bona hereditaria vel aequali parte, vel, si secus testator in testamento disposuit, pro quantitate tertiae partis atque bessis fundi Corneliani, quam testator ipse descripsit.

VIRO

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

VINCENTIO GEORGIO AVGVSTO

LVDWIG

S. P. D.

PRAESES.

Legum promulgationem citius seriusve subsequuntur modo Iudicum modo Prudentum interpretationes; illorum quidem, cum causae sunt natae, quae a verbis aut mente legislatoris ullatenus discedunt; horum vero, quando de iure consulti et in tutelam litigii adsciti de eo, quod ex lege fieri oportet, dubitantes ambigunt, vel iura, quae legibus diversis constituta sunt, componunt atque ordine congruo connectunt. Iudices interpretantur, quo certior

tutiorque eveniat legis adplicatio; Prudentes commentantur, ne lis adversante lege decidatur, neve de eo, quod iustum iniustumque est, amplius dubitetur lateatque legum certi generis nexus. Iudicum est, perscrutari rationes sanctionum et cognoscere verborum sensum, ne ipsorum decreta et decisiones a voluntate legislatoris aberrent; suae explicationi decernendo et iudicando inhaerentes usum fori condunt. Prudentum officium est, non solum, quid legibus praeceptum vetitumque aut permissum sit, ostendere, verum etiam modum et regulas utiliter demonstrare, quibus observandis in speciebus similibus, deficiente legis sanctione, agi ac procedi fas existimetur. Pari tramite Iurisconsulti Romani sub libera republica atque Principibus regnantibus ad metam officii sui progressi sunt; neque in Civitatibus, quae post Imperium Romanum altiores radices egerunt, Interpretes, qui illorum vestigia legerent, defuerunt. Romana Civitas legum supplementa Prudentibus suis debuit, quorum alteri post alteros aut eadem aut diversa iuris capita de-

scribebant, opiniones antecessorum examinabant, suis partim rationibus confirmabant, partim vero reprobabant, et principia iustitiae, quae per novissimam rerum conditionem flagitabantur, adiungebant. Neque alia via Interpretes inter populos recentiorum temporum Iurisprudentiae fines promoveri posse sibi persuaserunt, neque ab his dissenserunt, penes quos rerum publicarum potestas atque moderatio erat. Ad formulam societatis litterarum cum Interpretibus consortium, Vir Praenobilissime, iniisti, doctrinam iuris adcrescendi post alios denuo commentans, eo quidem consilio, ut, quae Legibus praescripta et a Commentatoribus tradita esse cognovisses, in epitomen contraheres continuoque sermone illustrares. Priorem epitomes partem laudabili exitu absolvisti; unde spes certissima est, fore, ut partem posteriorem eadem diligentiae, dexteritatis et utilitatis laude aliquando perficias. Fructibus laborum Tuorum, in Te optimosque Parentes Tuos, qui de Te merito gloriantur, largiter redundaturis, ut sal-

vus sospesque perpetuo fruaris, exhinc Parentum Tuorum laetitia indies crescat, atque Patria scientiarum Tuarum adminiculo in suam salutem potiatur, sincero animo exopto.

Scripsi in Litterarum Universitate Lipsiensi, die 16. Martii, Anno 1817.
